

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3188

Auteur(s) : Robert Bertran, chevalier, Honfleur (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Fatouville-Grestain, Notre-Dame de Grestain (abbaye)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1256, 12 février

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Robert Bertran, chevalier et seigneur de Honfleur, notifie un accord conclu entre lui et l'abbé et les moines de Notre-Dame de Grestain sur les ports de Fiquefleur et de Cramefleur et leurs dépendances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, p. 100, n° 545, n. 1.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Robertus Bertranni, miles, dominus de Honnefleu, salutem in Domino. Noveritis quod cum contentio verteretur inter nos, ex una parte, et viros religiosos abbatem et conventum beate Marie de Gresteno, ex altera, super portus de Fiquefleur et Crannefleur cum pertinentiis, in quibus dicebamus nos jus habere, et dicti religiosi similiter dicebant dictos portus elemosinam suam puram esse et liberam sibi et ecclesie sue datam et concessam a Roberto comite Moretonii, sicut in litteris dicti comitis patentibus super hoc confectis plenius continetur ; tandem, proborum virorum consilio, pacem composuimus in hunc modum, ita videlicet quod nos dictos portus cum pertinentiis suis in statu in quo modo sunt et erunt, si per aquam et mare sine manu opere poterunt emendari, libere pacifice et sine contradictione aliqua eidem dimittimus, et omnes coutumias tam in navibus quam in aliis dictis portibus adjacentibus et accidentibus similiter dimittimus, hoc tamen adjecto, quod, si dicti religiosi in predictis portibus aliquid reedificare lignis seu lapidibus voluerint, ipsi tenentur coram judice seculari, in loco recordationem deferente, nos seu heredes nostros, antequam incipient, requirere, ut in dicta reedificatione de nostro proprio usque ad tertium apponamus et tertium capiamus, et si requisiti in loco predicto dictum tertium mittere noluerimus, nichil de cetero in predictis portibus cum eorum pertinentiis poterimus reclamare, nec sine licto dictorum religiosorum in predictis locis nos vel heredes nostri aliquid innovare possumus seu edificare. Si vero acciderit quod aqua dictos portus obturaverit, licebit dictis religiosis beyum molendini cum beschis et fossariis prout cursus aque requiret emendare et pontes edificare, pasturas et areas sine contradictione nostri vel heredum nostrorum habere. Cambellanus vero de Tanquarvilia, ad petitionem nostram, sigillum suum, una cum sigillo baillivi Rothomagensis presentibus litteris apposuit, quoque littere inter nos et predictos religiosos de confirmatione predictorum, prout melius potuerint, secundum verba predicta, sint confecte et sub sigillis nostris sigillate, quando dominus rex primo Rothomagi moram fecerit in primo adventu suo, et si in instanti quadragesima ibidem vel apud Pontem Audemari non venerit, nichilominus infra scacarium Pasche,

predicte littere, prout expressum est, erunt confecte et sigillis nostris sigillate. Datum anno Domini M^o CC^o Lmo.
quinto, apud Parisius, die sabbati post dominicam qua cantatur circumdederunt me.